

morem peccati imputati: sed etiam retro regnaverit in eos qui retro peccaverant; non ad similitudinem transgressionis Adamicæ, sed ad similitudinem peccati non-imputati, quod erat antè legem illam quam Adamus violavit.

Ille vero Adamus typus erat, sed typus oppositus futuri Adami; id est, Iesu Christi. Ille erat primus Adamus: hic secundus Adamus. Quemadmodum per illum primum Adamum, peccatum quod erat ex transgressionem legis Dei, intravit in mundum, & per peccatum mors: ita etiam per hunc secundum Adamum absolutio de peccato illo intravit in mundum, ac per illam absolutionem vita. Quemadmodum in omnes homines mors pervasit, in illo primo Adamo in quo omnes peccaverunt: ita etiam in omnes homines vita pervasit, in hoc secundo Adamo, in quo omnes peccati Adamici insontes evaserunt. Ac demum: quemadmodum mors quæ obtinuit à peccato primi Adami, regnavit in illos homines qui non peccaverant ad similitudinem peccati imputati; sed qui peccaverant ad similitudinem peccatorum antecedentium; id est, non imputatorum; qualia erant peccata facta antè legem: Eadem ratione, vita quæ obtinuit per gratiam absolutionis illam, quam generi humano comparavit secundus Adamus; regnavit in eosdem. Sive quod perinde est; præterit & delevit Christus placamentum ad hoc à Deo propositus, peccata illa antecedentia, infecta reatu & imputatione peccati Adamici. Quæ est absoluta comparatio inter utrumque Adamum, primum & secundum.

CAPUT XXIII.

Adamum dici primum hominum, qua ratione Christus secundus homo est.

OBJICITUR, Adamum vulgò dici primum hominem. Sed facile erit responsum, si dicimus Adamum esse

esse